



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Articulus III. De legum interpretatione, & epikia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)



formaliter peccaminosos. Non secundum; ergo primum. Minor probatur: Consuetudo non inducitur contra legem, nisi cum scientia legis contrariæ & animo abjiciendi illam, atque jus contrarium inducendi: sed hoc non fit nisi per actus vel omissiones formaliter peccaminosas; ergo. *Secundò*. Ad inducendam consuetudinem præter legem, requiritur ex parte introducentium animus introducendi obligationem legis, & ideo quidem, quia actus ex errore gesti non præbent sufficiens argumentum liberi & voluntarii consensûs in obligationem legis: ergo ex eodem capite ad inducendam consuetudinem contra legem requiritur animus se deobligandi à lege, quod non fit nisi per actus vel omissiones scienter & malâ fide contra legem exercitas; nam actus bonâ fide elicitii supponunt ignorantiam obligationis, & erroneam opinionem, quòd antecessores ex justa causa legem non servarint.

13. His tamen non obstantibus adhæreo sententiæ Laymanni l. 1. Theol. mor. tr. 4. c. 24. P. Engel Colleg. Juris C. tit. 4. de consuet. §. 4. Reverendiss. D. Ruperti Kimpfler in *Disp. de consuetud.* part. 2. §. 3. n. 9. p. 17. per actus formaliter malos, & peccaminosos consuetudinem non induci: neque illos actus in introductione consuetudinis esse computandos. Nam primò jus consuetudinarium cum sit regula legitima humanorum actuum moraliter bona, honesta, recta, rationabilis, non potest confurgere ex causa formaliter inhonestâ, & à recta ratione devia, quales sunt omnes actus formaliter mali & peccaminosi. Secundò, neque potest indicare rationabilem consensum, sed potiùs corruptelam, quod contra rectam rationem in contumeliam Creatoris committitur. Tertio, neque potest legislator in ejusmodi actus vel personaliter vel legaliter consentire. Quarto, neque debent subditi ex transgressione legis præmium & exemptionem à vinculo legis reportare, arg. c. fin. de præscript. Quintò, neque capio, quomodo dici possit consuetudo legitime præscripta [esto non sit adæquatâ paritas cum præscriptione contra bona & dominia] cui neque lex, neque bona fides suffragatur: neque enim solus temporis tractus sufficit, ut aliquid sit legitime præscriptum.

14. Debet igitur consuetudo in triplici statu considerari. Primus est quasi dispositivus, quo popu-

lus malâ fide scienter & peccaminosè contra legem operatur; ubi licet consuetudinis præscriptio nondum incipiat defectu rationabilitatis & bonæ fidei, sunt tamen quasi dispositiones, ut successores de consuetudine jam præscripta, & sufficienti consensu tum populi, tum legislatoris bonâ fide præsumere & licitè contra legem operari possint, qui est status secundus consuetudinis in fieri, quo nempe consuetudo lapsu temporis decennalis introducitur, & tertius est status ipsius in factò esse, quo consuetudo per actus non jam formaliter, sed materialiter tantum contra legem elicitos legitime præscripta, legis contrariæ obligationem extinguit.

Unde jam ad 1. argumentum in contrarium Respondeo, consuetudinem introduci per actus non formaliter peccaminosos, sed tantum materialiter, & cum ignorantia obligationis contra legem elicitos. Probationem distinguo dupliciter: Consuetudo introducitur contra legem cum scientia legis contrariæ, & animo abjiciendi illam materialiter [h. e. faciendi id quod à parte rei est lege prohibitum, cum inculpabili tamen ignorantia obligationis] concedo; formaliter, nego; & sic dist. min. nego consequentiam. Secundò: Introducitur cum animo abjiciendi etiam formaliter, tanquam per actus quasi remote dispositivos, instar conditionis sine qua non, concedo; tanquam per actus proximè causativos, nego consequ. Ad 2. nego consequ. & paritatem; quia non tam facile præsumi potest liber consensus populi ad imponendam sibi obligationem, quàm ad amovendam. Quia igitur in introductione consuetudinis præter legem agitur de imponenda obligatione, actus ignoranter elicitii non præbent sufficiens argumentum consensûs liberi: quia verò in consuetudine contra legem agitur de favore, de obligatione, libertate, ad quam populus suo pte genio inclinat, sufficiens argumentum consensûs præbent actus cum scientia quidem legis, sed tamen cum probabili ignorantia obligationis elicitii: quæ quidem probabilis ignorantia consuetudini contra leges est propria, & necessaria, ut per illam rationabilis causa saltem putativa contra leges agendi detur, & actuum malitia bonæ fidei adminiculò abstergetur, prout tradit cit. Clariss. Kimpfler p. 43 n. 3.

### ARTICULUS III.

#### De legum interpretatione, & epikia.

##### SUMMARI A.

1. Definitio & divisio interpretationis.
2. Interpretationem doctrinalem patitur etiam lex Divina, & naturalis.
3. Divisio interpretationis doctrinalis.
4. Extensiva interpretatio alia comprehensiva ob identitatem rationis:
5. Alia purè extensiva, ob paritatem rationis.
6. Quid interpretatio restrictiva, & epikia?
7. Datur epikia.
8. Etiam in lege Divina & naturali.
9. Excipiuntur leges irritantes.

##### §. I.

##### De legum interpretatione, & epikia.

Interpretatio est explicatio verborum legis, ordinata ad concipiendum verum legis sensum & significationem à legislatore intentam. Est triplex juxta glossam in l. 37. ff. de LL. Authentica, quæ est ab ipso Principe & legislatore, ejusque Successore vel Superiore, non autem ab inferiore, nisi ad hoc ipsum à Superiore potestatem acceperit, habet authoritatem & efficaciam legis,

Tr 3

pre



per c. in res alia, de sent. excomm. ibi: unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat. & L. ult. C. de leg. Desinimus autem, omnem Imperatorum legum interpretationem, sive in precibus, sive in iudiciis, sive alio quocunque modo factam, ratam & indubitatam haberi. &c.

Altera est interpretatio usualis, quæ sumitur ab usu & consuetudine moribus recepta: nam optima legum interpretatio est consuetudo, c. cum dilectus, de consuetud. Imò & ipsa consuetudo legitime præscripta habet vim legis juxta prius dicta.

Tertia demum dicitur interpretatio doctrinalis, seu scholastica, quæ nimirum à Doctoribus traditur: & hæc per se loquendo non inducit obligationem, sed probabilitatem.

2. Interpretatio doctrinalis locum obtinet non solum in lege humana, sed etiam divina & naturali, quando præcepta legis dubium, vel obscurum sensum præ se ferunt. Ad illam reducitur interpretatio consuetudinis non præscripta, item interpretatio judicialis facta à iudicibus inferioribus, nec non interpretatio facta ab ipso Legislatore, tanquam à Doctore privato, & opinativè scribente.

3. Interpretatio doctrinalis rursus dividitur in declarativam, extensivam, & restrictivam. Declarativa est congrua dubiorum, vel obscurorum verborum expositio, quæ ut rectè instituitur, observandæ sunt sequentes regulæ: Primò investiganda est mens & intentio Legislatoris, quam habuit, dum legem conderet; hæc quippe est anima legis; ideoque si de hac constet, illi adhærendum est, quicquid aliud verba sonare videantur: nam ut dicitur l. 17. ff. de LL. scire leges non est earum verba tenere, sed vim & potestatem. Et l. non dubium, eod. In legem committit, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem. Et eleganter D. Hilarius l. 4. de Trinit. Intelligentia doctorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermone res, sed rei debet esse sermo subiectus. Ita post Suarez l. 6. c. 1. Sanchez, Layman, Salmantic. hic punct. 3. n. 24.

Secundò. Attendenda est legis ratio, quæ plerumque in præmio, & initio legis ponitur, quia exinde potissimum finis & intentio Legislatoris elucet: præsertim, si ratio legis comparetur cum aliis legibus: debet quippe præsumi mens Legislatoris sibi suisque legibus consona, si nulla sit iusta & sufficiens oppositio, quam in legibus, quantum fieri potest, vitari oportet.

Tertiò. Attendenda est verborum proprietates, sive lex sit favorabilis, sive odiosa, prout docet Layman tr. 4. c. 18. Palao tr. 3. disp. 5. p. 3. §. 3. alias quippe nulla foret legibus firmitas, sed omnes forent illusione & confusione obnoxie. Igitur per se loquendo talis præsumitur fuisse Legislatoris intentio, qualem verba in proprio sensu, & communi usu accepta significant. Quòd si verba admittant duplicem sensum, naturalem [h. e. qui communi hominum impositione & acceptione convenit] simul & civilem [h. e. qui est proprius arti politicæ, & convenit rebus per fictionem juris] distinguunt præ citati DD. Vel enim lex est odiosa, vel favorabilis; si odiosa, sive dein præceptiva, sive poenalis, restringi de-

bet, adeoque verba in proprio & naturali sensu accipienda: unde leges latae de filiis, de filiis legitimis sunt intelligendæ, non de legitimis per favorem Principis. Si verò lex sit favorabilis, etiam sensus civilis admittitur: juxta regulam jur. favores sunt ampliandi, & sic sub nomine filii venit etiam adoptatus, legitimatus, nepos: sub nomine nobilis, non solum qui talis est jure sanguinis, sed etiam beneficio Principis. Dixi tamen per se loquendo, quia, ut communiter notant DD. si ex proprio sensu legis aliqua sequeretur iniquitas, aut damnum innocentis, vel lex rediret in inutilis & illusoria, à proprio sensu etiam ad improprium declinandum foret: quia, ut dicitur in c. secundò requiris. q. 1. de appellat. Verò inventioni deserviant, & non intentio verbi. Non potest autem præsumi de Legislatore, quòd in lege condenda iniquitatem intenderit.

Extensiva legis interpretatio dividitur in comprehensivam, & merè extensivam. Comprehensive est, quæ lex extenditur ad personam vel casum verbis quidem non expressum, mente tamen Legislatoris comprehensum ob adequatam rationis identitatem: quæ secundum communem DD. nominatim Layman tr. 4. c. 18. Suar. l. 6. c. 3. n. 16. Pyrhing l. 1. Tit. 11. de constitut. n. 112. Clariss. P. König ibid. §. 12. n. 27. locum habet in lege non tantum favorabili, sed etiam odiosa, & præceptiva. Hujus probationem suppediat ultima Reg. I. in 6. quòd possit esse sub mente legis id, quod non comprehenditur sub verbis legis: quòd aliud esse non potest, quàm id, in quo currit adæquata ratio Legislatoris, motiva ad ferendam legem: cum prudenter præsumi possit, voluisse Legislatorem sua lege comprehendere omnes casus, in quibus ipsius adæquata ratio reperitur, nisi de contrario aliud constet. Et sic primò præsumitur extensio comprehensive esse de mente Legislatoris in correlativis, ubi, quòd disponitur de uno, dispositum censetur de altero: ita si vir extimitur ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ, etiam uxor deobligabitur respectu mariti adulteri: ita licet in c. illis. de sponsalibus, dicatur, quòd sponsa liberetur ab obligatione sponsalium propter absentiam sponsi sine sua licentia factam; tamen ob adæquatam rationis identitatem dicendum erit, etiam sponsam deobligari propter absentiam sponsæ factam sine sua licentia. Secundò in æquiparatis, subordinatis, & connexis; ideo, cui lex concedit facere testamentum, etiam concedit facere codicillum; cui prohibet codicillum, à fortiori prohibet testamentum. Cui conceditur usus laticiniorum; & concessio principali conceditur usus accessiorum. Nec refert, quòd lex agat de persona vel casu particulari, dummodo non velit ad illum restringere legis decisionem: sic decisiones Pontificum & Imperatorum Corpori Juris insertæ obligant in communi, & casus particularis continent tanquam exempla legis declaratoria, non limitantia, aut restrictiva.

Dixi tamen primò, ob adæquatam identitatem rationis, nam si identitas sit inadæquata, casus sub lege comprehendi non censetur, neque si tantum sit paritas vel similitudo rationis, quia tunc cur-



rit altera juris Regula, quod si *Legislator idem fieri voluisset, poterat exprimere. c. 2. de Translat. Episcopi*, ergo si non expressit, ejusmodi casus in lege non comprehenditur, juxta illud Gloss. in l. 15. ff. de L. L. *Exceptio a regula firmat regulam in contrarium.*

Dixi Secundò, *Locum habere in lege etiam præceptivam*: nam in lege pœnali non datur extensio comprehensiva ad casus non expressos, neque quoad pœnam, neque quoad vinculum obligationis, tamen si videatur esse rationis identitas, nam leges odiosæ sunt restringendæ. Et l. 42. ff. de pœnis. *Interpretatione legum pœna mollienda potius, quam exasperanda.* Ratio quoque est: quia tota vis obligandi tam quoad culpam, quam quoad pœnam, dependet à voluntate Legislatoris; si ergo ipse noluit legem extendi ad alium casum quoad pœnam, verisimile est, etiam noluisse extendi quoad culpam & obligationem: siquidem pœna infligitur propter culpam: ideo quamvis in jure æquiparentur consulentes, mandantes, facientes; si tamen excommunicatio lata sit adversus facientes, non extenditur ad consulentes. Irregularitas lata contra rebaptizantes non extenditur ad iterantes Sacramentum Ordinis, vel Confirmationis, quamvis nulla appareat diversitas rationis. Ita Layman tract. 4. c. 18. n. 2. & 9. Sanch. l. 10. de matrim. disp. 4. Salmantic. loc. cit. n. 40.

Interpretatio merè extensiva est, per quam dispositio legis ob paritatem, vel similitudinem rationis extenditur ad personam, vel casum, neque verbis, neque mente Legislatoris comprehensum. Huic nulla est vis & efficacia extra judicium & in foro conscientiæ, quia ad hoc lex non obligat, quod est extra intentionem Legislatoris: sed quod neque verbis neque mente Legislatoris continetur, est extra ejus intentionem: ergo ad id extensio legis non obligat. Extra judicium, inquam, quia in judicio ad decisionem causarum forensium etiam huic extensioni est locus: cum enim nequeant omnes casus legibus comprehendere, prudentia dicitur, ut in casu non expresso procedatur ad normam expressi, per l. 13. ff. de L. L. imò Judices quoque obligari, ut deficiente legum evidentia, jus dicant secundum similia, probabiliter docet Haunold, de Jure & Just. rr. 1. c. 5. contr. 2. n. 284.

Restriictiva interpretatio est, quæ interpretatur aliquem casum particularem propter certas circumstantias sub lege & intentione Legislatoris non contineri, etaque peculiari nomine dicitur epikia. Sitigitur

## §. II. Epikia.

Hæc ab Aristotele l. 5. Ethic. & Doctore Angel. ibidem l. 16. describitur, quod sit *emendatio legis, quæ parte deficit propter universalitatem. Sive benigna interpretatio & restrictio legis secundum æquum & bonum, eo sensu, quem in fine præced. §. diximus.*

Datur itaque Epikia: quia leges feruntur universaliter cum reflexione, quid in pluribus, non quid in singulis casibus particularibus contingere possit, & soleat. Ideoque nonnunquam opus

est exceptione alicujus casus & personæ particularis, cum æquitas naturalis dicat, legis universalitatem & Legislatoris intentionem ad ejusmodi casum se non extendere; quæ ratione personæ debiles, & magno labore fatigatæ excusantur à lege jejuni. Neque sic præjudicium inferitur potestati legislativæ, cum præsumatur Legislator in simili casu eadem fuisse dicturus, ut colligitur ex l. nulla juris. ff. de leg. ubi habetur: *Nulla juris ratio, aut æquitas benignitas patitur, ut, quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producimus ad severitatem.*

Ceterum, ut detur locus epikiæ, non necesse est, ut legis observatio in particulari casu efficiatur iniqua & damnosa bono publico, sicuti si in obfessa civitate esset præceptum, ne portæ aperirentur, liceret tamen illas aperire civibus ab hoste ad civitatem compulsis, quia tunc præcepti observatio esset iniqua & damnosa ipsi civitati, sed sufficit, quod sit valde onerosa, & difficilis observatu: cum enim jugum Christi sit suave, & onus leve, lex quoque debet esse suavis, ut humano modo & sine magna difficultate possit servari. Unde si casus occurrat magnò incommodò vestitus, præsumi potest, quod Legislator illum sub rigore legis noluerit comprehendere. Sic communiter excusatur mulier ab auditione Sacri. si inde honoris, sanitatis, rei familiaris jacturam aut damnum metuat, Suar. l. 6. c. 7. Palau tr. 3. disp. 5. punct. 3. Imò quotiescunque moraliter constat, & prudenter præsumitur, quod Legislator noluerit aliquem casum comprehendere, quantumvis verba legis sint generalia, licitum erit oppositum operari, juxta ea, quæ tradit Suar. cit. n. 6.

Neque excipitur ab epikia lex Divina & naturalis, nisi cum prohibent actus intrinsecè malos, qui per nullam circumstantiam à malitia depurari possunt, ut sunt mendacium, fornicatio; nam ab istarum etiam legum universalitate plures casus singulares possunt deficere. Sic jure naturali prohibetur occisio hominis, quem tamen justè occido, si mihi necem injustè intenderit. Secretum servare, extremè indigenti subvenire, sunt juris naturalis, dantur tamen casus, in quibus istæ leges non obligant. David per epikiam urgente famis necessitate judicavit sibi licitum comedere panes propositionis, aliquin lege divinâ veritos; & Machabæi, licitum esse die Sabbathi hosti resistere.

Excipiuntur tamen leges irritantes, & quæ formas substantiales actibus præscribunt: in his quippe, secundum communiorem DD. sententiam epikia contra verba & formam legis non admittitur, eò quod rigor istarum legum & forma opposita actibus, vel contractibus, concernat bonum publicum, nisi aliter mens Legislatoris colligi possit. Ideo non obstante quacunque necessitate irritum est matrimonium sine parochæ & testibus contractum, neque valent testamenta, contractus alique actus sine præscripta forma celebrati, extra casus specialiter exceptos. ut tradit Layman de leg. c. 19. n. 2. Barb. ad Concil. Trid. Sess. 24. c. 1. Sanch. de matr. l. 3. disp. 17. P. Engel Tit. II. §. 4. n. 78. P. König ibid. §. 12. in fine.